

2. Xenophontem in angiporto obvium habuit Socrates. Quumque videret adolescentem vultu specioso admodum et verecundo; porrecto baculo, vetuit, ne praeteriret. Ut constitit, interrogavit eum Socrates, ubinam venderentur, quae essent necessaria variis usibus civium? Ad quae quum expedite respondisset Xenophon, percontatus est: *ubinam boni ac probi homines fierent?* Id vero nescire se, respondentे adolescentе: *sequere igitur, et disce,* inquit Socrates. Ex eo tempore Xenophon coepit esse Socratis auditor.

3. Protagoram, virum in studiis doctrinarum egregium, cuius nomen Plato librō illi suo inclyto inscripsit, adolescentem ajunt, victus quaerendi gratia, in mercedem missum; vecturasque onerum corpore suo factitavisse. Quod genus Graeci βαστάζοντας vocant, Latine bajulos appellamus. Is de proximo rure in Abderam oppidum, cuius popularis fuit, caudices ligni plurimos, funiculo brevi circumdatos, portabat. Tum forte Democritus, civitatis ejusdem civis, homo ante alios virtutis et philosophiae gratia venerandus, quum egredieretur extra urbem, videt eum, cum illo genere oneris tam impedito, ac tam incohibili, facile atque expedite incedentem: et prope accedit, et vincturam posituramque ligni, scite periteque factam, considerat, petitque, ut paullum acquiescat. Quod ubi Protagoras, uti erat petitum, fecit, atque itidem Democritus acervum illum, et quasi orbem caudicum, brevi vinculo comprehensum, ratione quadam quasi geometrica librari continerique animadvertisit; interrogavit, quis id lignum ita composuisset? Et, quum ille a se compositum dixisset, desideravit, uti solveret, ac denuo in modum eundem collocaret. At postquam ille solvit, ac similiter composuit; tum Democritus, animi aciem, solertiaque hominis non docti demiratus: *Mi adolescens, inquit, quum ingenium bene faciendi habeas, sunt majora meliora-*